



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. III. De Ecclesia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ex traditione fuerunt decepti: Papias enim (ut A
scribit Eusebius lib. 4. cap. 14. & Hieronymus
in cap. 49. Isaia, & 19. D. Matthai) ex Scriptu-
ra male intellexit Evangeliorum & Apocalypsis,
quod errorem deduxit; & Quartodecimani de-
cimam quartam lunam celebrandum esse palcha affe-
rebant, ex eo quod ex Evangelio id aperte colli-
gebant, ut docet Polycrates, qui illorum Con-
cilio, seu Synodo praefuit. Sicut ergo ex eo quod
plures haeretici ad errores suos defendendos,
Scripturam abusi fuerint, propterea non potest di-
ci per sacram Scripturam ostium erroribus fuisse
aperum, ita, imò & multò minùs, id per tradi-
tiones factum dici potest, quamvis interdum ha-
eretici, Scripturarum auctoritate destituti, tradi-
tione abutantur, vel eam ad suorum errorum de-
fensionem comminiscantur: *Nihil enim (ut ait Se-
neca) tam sacrum, quod sacrilegum non inveniat.*

Obijciunt ultimò: Eo modo credibile est Apo-
stolos necessaria fidei nostrae dogmata tradidisse,
qui videtur magis conveniens ut illa perpetuo
in Ecclesia conservarentur pura atque integra:
Sed modus tradendi aliqua ex dogmatibus illis
vivà duntaxat voce, non ita se habet: Ergo cre-
dibile est, doctrinam fidei ab Apostolis hoc modo
traditam non fuisse. Major constat, Minor verò
probat; quia impossibile est, vel admodum dif-
ficile, ut quod auditione tantum percipitur, in-
tegrum contineatur & conservetur, vel enim qui
auduit, non satis allequitur quod audit, vel certe
postmodum obli viscitur illius, & consequenter
minus incorrupte ipsum alii tradit. Unde quam-
vis in lege naturae Ecclesia tantum traditionibus
non scriptis esset innixa, quia tamè successu tem-
poris oblivione ipsas obliterari animadversum
est, in lege Moisaica Scripturae datae sunt, ut per
illas oblivioni traditionis succurreretur.

Respondet concessa Majori, negando Mino-
rem, & ad illius probationem dico quod licet
auctoritas humana industria & cura in conservandis
traditionibus non scriptis, vix fieri possit quod
non pateant defectui qui obijciuntur, quia tamen
ille quibus utitur Ecclesia, Spiritus Sancti pro-
videntia singulari quaregitur ipsa Ecclesia con-
servatur, non magis timendum est ut pereant
aut corumpantur in tota Ecclesia, quam Scri-
pturae, utpote quae si humanam tantum providen-
tiam attenderemus, facile possent etiam corrup-
pi, imò & omnino deltrui. Et certe si traditio-
nem fidei toto tempore legis naturae absque ullis
scriptis conservavit Deus, nunc etiam & scriptu-
ras, & traditiones non scriptas, haud difficilius
conservabit, ridiculùmque est credere, eas non
eodem diligentia ac fide posse in fidelium cordi-
bus conservari, ac si in papyro scriberentur; neque
enim Scriptura Spiritus Dei vivà, facilius quam
Scriptura atramenti deletur. Unde falsum est,
ut aiunt scripturas in lege Moisaica fuisse datas à
Deo, ut oblivioni traditionis succurreret, si enim
ea solum de causa dedisset eas Deus, illa omnem
doctrinam ad salutem hominum necessariam
continuerent; quod tamen falsum esse ex eo supra
ostendimus, quod nullibi extet in libris Moysis
remedium pro peccato originali in feminis, &
masculis ante octavum diem. Aliae ergo causae
illis legis scriptae fuerunt; nimirum ut eam etiam
ratione per se quoque optimà, hominum salutem
conservaretur. Ut ad plures cognitio coelestis do-
ctrinae, propius imminente tempore legis gra-
tiae, facilius pervenire posset. Et ut, vel ipsis Ju-
daeis invidis, Ecclesia Christi aliquando copiam

eorum doctrinae haberet, & consequenter ejus
auctoritate, atque antiquitate, veritatem suo-
rum dogmatum defenderet.

DISPUTATIO III

De Ecclesia.

Egitur disputatione praecedenti de du-
plici regula fidei inanimata & muta,
Scriptura scilicet & Traditione, nunc
de triplici alia regula animata & lo-
quente nobis superest disputandum; & primò
quidem de Ecclesia, deinde de capite ejus vili-
bili, Pontifice Romano, postea de Conciliis ge-
neralibus & oecumenicis, universalem Christi
Ecclesiam representantibus.

ARTICULUS PRIMUS.

*Verum Ecclesia universalis sit infallibilis in
credendo, & certa regula fidei?*

§. I.

*Quibusdam praemissis, conclusio affirmativa
statuitur.*

Suppono primò, Ecclesiam posse spectari du-
pliciter: Primò generaliter & latissime, pro-
ut non solum homines, sed etiam Angelos, nec
solum viatores, sed etiam beatos & comprehen-
sores complectitur; unde sic accepta definitur,
*Societas creaturae rationalis, supernaturali cognitio-
ne Deo adherens, ejusque vero cultu inter se com-
municans.* Ubi dicitur primò *societas*, quia Ec-
clesia in uno solo subsistere nequit, sed ad mi-
nimum tres, qui in jure dicuntur capitulum fa-
cere, complectitur. Secundo *creatura rationalis*,
quo nomine tam Angeli quam homines com-
prehenduntur, ambo enim ad corpus Ecclesiae
generaliter sumptae spectant. Tertiò subditur,
adherens Deo, quia si Ecclesia Deo non adhereret,
esset congregatio prophana & humana, ad instar
rerum publicarum hujus muncii, non autem di-
vina & coelestis, qualis tamen debet esse Eccle-
sia, de qua nunc agimus. Quarto subjungitur,
supernaturali cognitione, in genere, ut sic visionem
Dei, & fidem complectamur: Angeli enim in
Ecclesia triumphante, Deo per clarum ejus vi-
sionem adherent, nos autem in militante, sicut
& anima quae in purgatorio cruciatur, per fi-
dem & anigmaticam cognitionem. Quintò dicitur,
inter se communicans, ad societatem quippe
non sufficit sola multitudo, sed insuper requiri-
tur aliqua communicatio, ut nimirum unaquaeque
pars alteri pro suo modo & conditione commu-
nicet; unde in damnatis, quamvis sit multitudo,
non reperitur tamen vera societas, quia non sunt
inter se uniti, neque mutuis officiis inter se com-
municant. Postremò subditur, *vero Deo cultu*, quia
communicatio quae est inter Ecclesiae membra sed
partes, maxime penes verum Dei cultum atten-
ditur, Ecclesia enim nomen est religionis, signi-
ficans societatem eorum qui ad Deum colendum
vocati sunt.

Ecclesia sic generaliter & late accepta, varios A habuit & habet adhuc status: alium enim statum habuit in lege naturæ sub Patriarchis, alium in veteri testamento sub Sacerdotibus, Levitis, & Prophetis, & alium habet nunc in lege Evangelica sub Christo & Apostolis, & Pontifice Romano à quo regitur. Item alium habet statum in terris, ubi contra hostes pugnat, & spirituales militiam exercet, unde militans nuncupatur; alium in purgatorio, ubi igne probatur, & à reliquiis peccatorum purgatur, unde patiens dicitur; alium in cælo, ubi sponso fruatur, & de superatis hostibus victoriam celebrat, à quo triumphans appellatur. Una tamen propterea esse non definit, non secus ac homo, licet alium statum in pueritia, alium in virilitate, alium in senectute habeat, idem numero censetur.

Præter hanc generalem Ecclesiæ acceptionem, est alia strictior & angustior, quæ consideratur sub statu quem in lege Evangelica à Christo Domino accepit, sicque definitur à Banne hic art. 10. & cæteris aliis: Societas visibilis fidelium baptizatorum, sub uno capite Christo in cælo. & Variis eius in terris, inter se eodem cultu communicantium. Quæ definitio sufficienter manet explicata ex dictis in præcedenti.

Suppono secundò, Ecclesiam hoc secundo modo acceptam, visibilem esse, Ecclesia enim in terris est essentialiter societas non Angelorum neque animarum, sed hominum: non autem dici potest societas hominum in terris nisi externis & visibilibus signis consistat, quia non est societas, nisi se agnoscant qui dicuntur socii: non autem se possunt homines agnoscere in statu viæ, nisi societatis vincula sint externa, atque ad visibilia. Adde quod Matthæi 5, Ecclesia comparatur civitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest. Et Isaïæ 2, de ea dicitur: Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Quæ testimonia Augustinus Tract. 2, in Joannem de Ecclesia explicat, concludens his verbis: Quid amplius dicitur sim, quam cæcos qui tam magnum montem non vident. Item Psalm. 78. in Sole posuit tabernaculum suum: id est (inquit ibidem Augustinus) in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. Quod confirmat Epist. 166. ad Donatistas, dicens: ipsa est Ecclesia in sole posita, id est in manifestatione, omnibus nota, usque ad terminos terræ.

4. Dices, quod credimus, invisibile est: Sed Ecclesia à nobis creditur, quandoquidem dicitur in Symbolo, Credo Ecclesiam: Ergo illa non est visibilis.

Verum huic instantiæ facile responderetur, quod sicut in Christo erat aliquid quod videbatur, nempe ejus humanitas, aliud quod credebatur, nempe ejus divinitas; & sicut in baptismo videmus externam aquam & abluitionem, credimus autem internam vim regenerandi, & peccata abluendi. Ita in Ecclesia est aliquid quod credimus, & aliquid quod videmus: credimus enim eam regere à Spiritu Sancto, extra eam nullum posse salvari, & similia; videmus autem congregationem hominum exterius Deum colentium, & fidem sub uno visibili Pastore profitentium. Itaque licet fides interna & sanctitas, quæ est præcipua forma Ecclesiæ, quæ est in multis membris, non videatur; videtur tamen Ecclesia per suas notas externas, illà non visà; sicut videtur homo per externa accidentia, non visà animà.

Suppono tertio contra hujus temporis hæreticos, Ecclesiam non solum ex prædestinatis, sed etiam ex reprobis constare: Christus enim in Evangelio Ecclesiam suam comparat lagenam missam in mare, & ex omni genere piscium congreganti, arcam in qua palea & triticum simul reperiuntur, agro in quo bonum semen & zizania admixta sunt; convivio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt; decem virginibus, quarum quinque prudentes sunt, quinque fatuæ; ovili in quo reperiuntur oves & hœdi. Demum Apostolus 2. ad Timoth. 2. Ecclesiam comparat magnæ domui, in qua sunt diversa vasa, quædam in honorem, alia in contumeliam.

De Ecclesia ergo Christi, quæ in terris est visibilis & conspicua, constansque ex reprobis & prædestinatis, inquirimus, an sit infallibilis in credendo, subindeque certa & infallibilis regula fidei, vel possit errare, sive sentiendo, sive proponendo aliquid fidei contrarium. Quod ut magis declaretur.

Notandum est, dupliciter intelligi posse Ecclesiam errare in fide. Primò, culpabiliter incidendo in hæresim, vel errorem culpabilem. Secundò inculpabiliter: errando cum ignorantia invincibili. Prior errandi modus pejor est, & fidem planè destruit, idcirco Ecclesiæ magis repugnat quàm posterior, uterque tamen ab illa removendus est; ad refellendum errorem Lutheranorum & Calvinistarum, docentium Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem & religionem, postea errasse credendo, & credenda proponendo quæ non erant fidei, & multis sæculis usque ad tempora Lutheri in errore persistisse. Contra quam doctrinam sit

§. II.

Duplici conclusione Lutheranorum & Calvinistarum error refellitur.

Dico primò, Ecclesiam uni versalem non posse errare culpabiliter in fide.

Probatum primò conclusio duplici celeberrima scripturæ testimonio. Primum habetur Matth. 16. ubi Christus dixit Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi prævalent adversus eam. Ubi per portas inferi significatur Dæmonis potentia & astutia, quæ maxime in disseminandis hæresibus & erroribus versatur: Ergo Christus verbis illis aperte insinuat, nullas hæreses adversus Ecclesiam super Petram fundatam prævalituras. Unde Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 6. paginare potest, expugnari tamen non potest: hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite præscissæ; ipsa autem manet in radice sua, portæ inferi non vincunt eam.

Secundum testimonium sumitur ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. ubi sic ait: Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, firmamentum & columna veritatis. Ubi Ecclesia in primis appellatur Domus Dei viventis: absurdum autem est, domum illam in qua Deus inhabitat, & quam suâ præsentia jugiter illustrat, errorum sordibus & tenebris contaminari & obscurari. Deinde dicitur columna & firmamentum veritatis: columna, quia sustinet & sustentat veritatem, cum nihil sentire & credere contra veritatem possit: firmamentum verò, quia præ sua in definiendo infallibilitate, veritatem ipsam firmat & statuit.

Respon-

Respondent Sæctarii, Ecclesiam vocari ab Apostolo columnam & firmamentum veritatis, quia est fida custos verbi Dei, quod errare nequit.

Sed contra primò, non est proprium columnæ, sed arcæ, custodire, unde juxta hanc expositionem, debuisset Apostolus Ecclesiam arcam potius quam columnam appellare. Secundò, juxta eandem explicationem, Iudæi infensissimi Christianæ Religionis hostes, deberent dici columnæ & firmamenta veritatis, quandoquidem vetus testamentum, quod pariter verbum Dei continet, diligenter custodiunt.

Probat secundò conclusio ex Cypriano libro de Unitate Ecclesiæ, cap. 5. ubi sic ait: *Adulterari non potest sponsa Christi, corrupta est & putrefacta: Ac si erraret culpabiliter in fide, eo ipso deficeret à suo sponso, & fieret adultera, ut constaret: Ergo in hæresim, vel errorem culpabilem, incidere nequit.*

Probat tertio: Si Ecclesia universalis culpabiliter erraret in fide, talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret: Consequens uon debet admitti: Ergo nec Antecedens. Sequela Majoris probatur: Christus est caput Ecclesiæ, & Spiritus Sanctus ejus cor, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 8. art. 1. ad 3. his verbis: *Caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum membrorum, sed cor habet quandam influentiam occultam, & ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat & unit, caput autem comparatur ipse Christus, secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfatur. Atqui naturali lumine constat defectus actionum internarum corporis, tribui capiti & cordi: Ergo si Ecclesia universalis culpabiliter erraret in fide, talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret.*

Dices, Christus est caput, & Spiritus Sanctus cor cuiuslibet fidelis, & tamen error illius in fide, nullo modo in eos redundat: Ergo nec error totius Ecclesiæ in Christum & Spiritum Sanctum redundaret.

Sed nego consequentiam & paritatem: disparitas est, quia fidelis particularis potest definire esse membrum ipsius Christi & Ecclesiæ, per errorem culpabilem: ac verò Ecclesia, supposita Christi promissione quæ habetur Olee 2. *Deponam te mihi in fide in sempiternum, definere non potest esse corpus mysticum illius.*

Dico secundò, Ecclesia non potest errare in rebus fidei, nequidem per ignorantiam invincibilem & inculpabilem.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in priori, quæ non tantum excludunt ab Ecclesia errorem culpabilem, sed etiam inculpabilem. Nam alioquin potius inferri adversus eam prævalerent, & in illa non esset columna & firmamentum veritatis, si posset decipi credendo falsum, etiam per errorem invincibilem, neque enim tunc veritatem, sed errorem fulciret. Neque haberet infallibilitatem & perpetuam Christi & Spiritus Sancti assistance, qua doceatur omnem veritatem, ut dicitur Matth. 25. & Joan. 14. Sed potius talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret, ut ex supra dictis patet.

Addo quod, si Ecclesia Christi posset errare credendo aliquid falsum, tanquam fide certum, etiam per ignorantiam invincibilem, tota vel fere tota ejus fides dubia redderetur, qui in plurimis dubitare posset, & formidare, ne forte per

ignorantiam decipiatur: quæ ratio in iis omnibus locum habet, quorum ultima resolutio credibilitatis fidei traditionem & consensum generalem Ecclesiæ.

S. III.

Solvuntur Objectiones.

Obijciunt in primis hæretici: Ecclesia in Scripturis & SS. Patribus sæpe lunæ comparatur: Ergo sicut luna à claritate deficit, & eclipsum patitur, ita & Ecclesia potest à fide deficere, & incidere in errorem.

Respondet Ecclesia non in eo similem lunæ dici in Scriptura & SS. Patribus, quod sicut luna deficit, sed potissimum in istis tribus. Primò quia sicut luna initio mensis exigua est, ac deinde paulatim crescit, donec plena & perfecta sit, ita Ecclesia in principio sui ortus, exiguum terræ partem occupabat, sed postea ita crevit, ut tandem toto terrarum orbe diffusa sit. Sic Augustinus in Psalmum 103. circa illum versiculum *Fecit lunam in tempora.* Secundò, quia sicut luna accipit lumen corporale à Sole, ita Ecclesia accipit lumen fidei & sanctitatis à Christo. Ita etiam Augustinus in Psal. 10. *Luna (inquit) intelligitur Ecclesia, quod suum lumen non habet, sed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in sanctis Scripturis allegorice Sol appellatus est, illustratur.* Et Philo

Episcopus Carpæus in Cantica Cantico: *Luna comparatur Ecclesia, propterea quod quidquid habet divini luminis, id à justitia Sole illo immobili atque divino accipit.* Tertio, quia sicut luna mutationi obnoxia est, ita & Ecclesia in hac vita, interdum fruatur pace, interdum persecutiones patitur, nunquam tamen deficit: *Ecclesia (inquit Ambrosius) tempora sua habet persecutionis & pacis, nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest.* In iis ergo consistit similitudo inter Ecclesiam & lunam, non verò in defectione, nam Ecclesia in fide semper firma, stabilis, ac immutabilis est, & hac in parte, non lunæ, sed Soli assimilatur, juxta illud Prophetæ Plal. 88. *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in celo fidelis.* Quæ verba constat intelligi de Ecclesia, in qua propriè Christus regnare, & solum suum constituere dicitur. Comparatur autem primò Ecclesia Soli, quia in se veri Solis imaginem in claritate & immutabilitate representat. Secundò Lunæ, quia etiam vicissitudines multas patitur, & interdum persecutionum nubibus tota oblectari videatur, temperamen radiis Solis illustratur, imò cum lux ejus non amplius conspicua est hominibus, ipsi Soli proximior est, subindeque magis ab eo illuminatur.

Tertio comparatur Iridi, quam, per testem in Cælo fidelem, Prophetæ intelligit, quippe quæ fideliter non amplius per aquas futurum diluvium annuntiat. Iridi, inquam, comparatur Ecclesia, propter maximam suorum membrorum varietatem, quæ per diversos Iridis colores adumbratur, vel, ut alii volunt, ob varias dignitates, variæque officia, à Christo cum in cælum contenderet illi concessa.

Obijciunt secundò: Ecclesia olim sæpe defecit à fide: Ergo modò etiam potest in fide deficere, sive errare. Consequentia patet ob paritatem rationis: Antecedens verò probatur primò. Initio mundi in solis Adamo & Eva Ecclesia tota constituitur, & tamen uterque fidem amisit, & à Deo

apostatavit, ut docent Ambrosius in libro de Paradiso cap. 6. Augustinus in Enchiridio cap. 45. & Prosper libro de Gratia Dei contra Collatorem: Ergo &c. Secundò tempore Moyses Ecclesia à Deo apostatavit, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum, ut habetur Exodi 32. Tertiò tempore Eliæ Ecclesia visibilibus defecerat, utpote cum ex una parte nullus remanserit fidelis, nisi solus Elias, ut ipsemet conqueritur 3. Regum 9. Ex alia verò parte Ecclesia, cum sit congregatio, non possit in uno solo conservari. Quartò idem accidit tempore Isaia & Jeremia, quando omnes recesserunt à Deo, dicitur enim Isaia 1. Cognovit bos possessorem suum, & asinus praesepe domini sui, Israël autem me non cognovit. Et Jeremia 2. Omnes dereliquisti me, dicit Dominus. Denique tempore Christi tota Synagoga cum omnibus suis ceremoniis expiravit: Ergo Ecclesia olim defecit à fide.

17. Respondeo primò, negando Antecedens, & ad primam ejus probationem de Adamo & Eva, dico tunc nondum fuisse Ecclesiam, utpote cum Ecclesia sit multitudo sive congregatio, quæ in duobus solis hominibus consistere non potest, sed tantum fuisse initium Ecclesiae, usque ad Abel.

Ad secundam probationem de Aaron & populo Israël, nego quod Synagoga ipsa tunc defecerit, sed tantum pars ejus; nam in primis caput ejus, quod erat solus Moyses, quia Aaron nondum erat Pontifex, non erravit, neque corpus etiam ipsius Synagoga; filii enim Levi, qui erant viginti duo milia, ut habetur Numer. 8. perseverarunt in cultu veri Dei, cum Moyses, ut habetur expressè Exodi 32.

Ad tertium de Elia dico, eum non loqui de omni populo Judaeorum, sed solum de illa parte quæ subiecta erat Regi Samariae, eo siquidem tempore duo regna pertinebant ad Synagogam, alterum Juda, alterum Israël: istud erat sub Rege Samariae, illud verò sub Rege Jerusalem: non loquitur autem Propheta de regno Jerusalem sive Iudae, utpote cum tempore Eliae regnaverint in Jerusalem optimi Reges Aza, & post eum Iosaphat, sub quibus populus & Sacerdotes manifestè in vera religione perseverarunt; imò in ipso Regno Israel multi erant etiam tempore Eliae, qui verum Deum agnoscebant; unde ei conquerenti quod derelictus esset solus, respondit Deus: Reliqui mihi septem milia virorum in Israël, qui genua non curvaverunt ante Baal.

Ad quartum & quintum de Isaia & Jeremia idem dico quod de Elia, & addo cum D. Augustino, libro de unitate Ecclesiae cap. 12. Prophetas & Apostolos interdum reprehendere universum populum, quasi nemo in eo sit bonus, cum tamen permulti sint boni.

Ad quintum dico tempore Christi Synagogam defecisse, non eo tamen sensu, quod à fide quam profitebatur antea apostataverit, sed quia tunc repudiata est cum suis ceremoniis & sacrificiis &c. in ejus locum successit Ecclesia Christi.

18. Secundò, respondi potest ad objectionem, dato Antecedente principali, de Ecclesia tempore legis naturæ, & de illa quæ fuit tempore legis scriptæ, negando consequentiam & paritatem de Ecclesia Christi. Ratio disparitatis est, Primò quia Ecclesia Christi habuit promissiones de sua firmitate ac stabilitate, quam neque Ecclesia legis naturæ, neque Synagoga habuerunt; non enim de illis, sicut de Ecclesia Christi dictum est, Por-

ta inferri non praevalerunt adversus eam. Secundò disparitas est, quoad Synagogam, quia Ecclesia Christi est libera, Synagoga verò fuit ancilla, unde illa designatur per Saram, quæ fuit uxor Abraham; hæc per Agar, quæ fuit illius serva, ut habetur ad Galat. 4. Agar autem fuit dimissa & repudiata, sed non Sara; atque adeo similiter Synagoga debuit repudiari, non verò Ecclesia. Denique Ecclesia Christi est Catholica & universalis, non solum ratione loci, sed etiam ratione hominum salvandorum, adeo ut extra illam nemo salvari possit, unde si deficeret, nullus omnino salvaretur: At Synagoga non erat Catholica & universalis, quia extra illam poterant homines salvari, ut patet de Patriarcha Job, & de Ninivitis.

Obijciunt tertio: Apostoli in triduo mortis fidem amisserunt: Sed Ecclesia tunc temporis in Apostolis & B. Virgine tota consistebat: Ergo tota Ecclesia tunc à fide defecit. Minor patet. Major probatur. Primò ex eo quod Matth. 26. Christus ipsis dixerit paulò ante passionem: Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte, scriptum est enim, percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis. Ubi Glossa explicat particulam, dispergentur, ab unitate fidei. Secundò ex eo quod Christus Marci 16. exprobraverit incredulitatem eorum, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Tertio ex ceremonia Ecclesiae in hebdomada sancta, quando in officio maritali omnia luminaria extinguuntur, & tantum unum remanet accensum; plures enim dicunt ceremoniam illam ideo fieri, quod luminaria Ecclesiae, nempe Apostoli extincta fuerint, sola Beata Virgine cum splendore fidei perseverante.

Respondeo negando Majorem, falsum enim est quod in triduo mortis Christi omnes Apostoli in fide defecerint, licet enim de aliquo ipsorum verum sit, nempe de Thoma, de cæteris tamen nulla ratio id convincit. Neque obstat quod Petrus Christum negaverit, ore enim duntaxat non verò corde ipsum negavit. Et certe cum Christus paulò ante ipsi dixisset, Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, credibile non est, eadem nocte fidem Christi defecisse in Petro, ita ut saltem in corde ejus non remanserit. Ad primam probationem in contrarium, dico verba illa Christi, Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte, fuisse prædictionem peccati quod commiserunt Apostoli, fugiendo, & nimis timendo, ex occasione Dominicae Passionis, quod non sufficit ad iacturam fidei.

Ad secundam dico illud Marci, Exprobravit incredulitatem eorum, non significare quod amisserint fidem, sed quod tardi fuerint ad credendum resurrectionem Christi, quod licet aliquod peccatum fuerit, non tamen infidelitatis.

Ad consuetudinem autem Ecclesiasticam extinguendi omnes cereos, præter unum, dico in mis cum Ruperto, extinctos cereos priores significare Prophetas à Judæis interemptos; cereum autem illum qui modò non extinguitur, licet tempore Ruperti, ut ipse testatur, etiam extingueretur, significare Christum. Dato tamen quod per istam candelam significetur Beata Virgo, & per alias quæ extinguuntur Apostoli, dico hæc ceremoniam significari quod Apostoli defecerint, non quidem in credendo, sed in fidei confessione. In quo sensu intelligendi sunt Patres, præsertim Augustinus, quando dicit quod à latrone Apostoli vieti sunt, quia tunc credidit, quando ipsi defecerunt.

Respon-

ARTICULUS II.

*Quae sunt notae verae Ecclesiae, & an illae
soli Romanae Ecclesiae competant?*

Tria in hoc articulo praestanda sunt. Primò explicandae sunt notae verae Ecclesiae in Symbolo Nicaeno his verbis expressae: Credo in unam, sanctam, catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Secundo ostendendum est, quatuor illas verae Ecclesiae notas, Romanae convenire Ecclesiae, namque esse unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam. Nomine verò Romanae Ecclesiae non intelligimus solam fidelium societatem urbe Romanâ conclusam, ut fingunt aliqui Adversariorum, sed totam illam multitudinem hominum, qui ubique terrarum unam & eandem fidem profitentur, sub uno eodemque Pastore universali, Romano Pontifice, cui tanquam capiti Ecclesiae, visibili Christi Vicario in terris, & legitimo Petri successori adherent. Tertium quod nobis probandum incumbit, est quatuor praedictas verae Ecclesiae notas, Lutheranorum & Calvinistarum sectae minime convenire.

S. I.

Prima nota verae Ecclesiae, unitas.

Veram Ecclesiam esse unam docet Scriptura pluribus locis Cantic. 6. Una est amica mea, formosa mea, columbamea. Joan. 10. Fiet unum ovile & unus Pastor. Ad Roman. 12. Multi unum sumus. Unde egregie Cyprianus libro de unitate Ecclesiae, cap. 3. Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: profuentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput, & origo una, & una mater fecunditatis succubus copiosa. Illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica, unam domum vivit, unus cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.

Porro multiplex est Ecclesiae unitas, multisque modis illa una dicitur: primò unitate principii, nempe Dei vocantis, & Christi eam fundantis & instituentis. Quo sensu veteres Patres, potissimum Tertullianus in Apologetico cap. 39. mirantibus paginis, quod Christiani se fratres nuncuparent (quo nomine mutuum inter se unitatem significabant) respondebant: Fratres sumus, qui unum patrem Deum agnoscimus, qui unum spiritum bibimus sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae ejusdem ad unam lucem expavimus veritatis.

Secundò Ecclesia dicitur una, ratione finis, nempe aeternae beatitudinis, quam omnia Ecclesiae membra sperant. Unde ait Arnobius Apolog. contra Gentes: Fratres sumus, quia ad eandem hereditatem, nempe aeternam beatitudinem aspiramus.

Tertiò dicitur una, ratione unitatis mediorum, tam interiorum (qualia sunt fides, spes & charitas) quam exteriorum, nempe sacramentorum sacrificii Eucharistiae, & legis Evangelicae. De unitate fidei dicitur ad Ephel. 4. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.

Uni-

Objectum quartò: Post Concilium Ariminense, in quo per fraudem Arrianorum formosa fides fuerat immutata, scribit Hieronymus toto orbe Arrianorum haereticum viguisse: Totus orbis, inquit, ingemuit, & miratus est se repente falsum Arrianum: Ergo tota Ecclesia potest à fide deficere, & labi in errorem.

Respondeo in Ecclesia tunc temporis fuisse quamplurimos qui non obstante Arrianorum fraude & perfidia in fide orthodoxa fortiter persistebant, ut Hilarius Pictaviensis, & cum eo tota Gallia, quae ab ejus partibus maxime stabat, ut ex eo patet quod cum ab exilio reverteretur, eum tota Gallia quasi ovante & triumphante de haereticis complexa fuerit, & ex eo quod dicit Hieronymus Galliam, frementibus haereticis, catuissis nonnullis. Item persistebat eo tempore in fide Clerus Romanus cum Papa Felice, qui in locum Liberii post ejus lapsum successus fuerat, multique alii qui neque Imperatoris Constantii minis, nec fraudibus Arrianorum, à vera fide unquam dimoveri potuerunt. Unde Hieronymus verbis relatis significare tantum voluit, plures tunc provincias ad Arrianorum partes, propter eminentiam illud Concilium Ariminense, commigrasse. De quo videri potest Baronius ad annum Christi 358.

Objectum quintò: Summus Pontifex, qui est caput Ecclesiae, potest in fide errare: Ergo & tota Ecclesia, non enim debemus in corpore majorem quàm in capite infallibilitatem admittere, cum illud ab isto regatur.

Respondeo darò Antecedente, de quo infra, negando consequentiam & paritatem. Ratio vero disparitatis est, quia potest Summus Pontifex aliquid sentire & credere contra fidem, absque eo quod propterea excidat à dignitate capitis ipsius Ecclesiae, latissime enim ipsi est ad illius dignitatis conservationem, quod nihil adversus fidem doceat, quia in sententiis & credendo se habet tantum ut persona particularis, & solum in docendo ut caput. At verò si Ecclesia, etiam praeter in sentiendo, à fide deficeret & incidere in errorem, eo ipso desineret esse Ecclesia si re sponsa Christi, cum per fidem illi desponsatur, juxta illud Olee 2. Sponsabo te mihi in fide.

Objectum ultimò: Ecclesia est libera in credendo mysteria nostrae fidei: Ergo potest nolle ea credere, subindeque à fide deficere.

Respondeo quod licet Ecclesia absolute, & nullà facta suppositione divinae promissionis, sit libera in credendo tam libertate contrarietatis, quam contradictionis; ex hypotheli tamen promissionis divinae, est quidem libera in credendo, libertate contradictionis, non tamen contrarietatis, subindeque non potest in fide errare, cum ad hoc non sufficiat libertas contradictionis, sed requiratur insuper libertas contrarietatis. Potestque haec solutio explicari & illustrari exemplo Christi, qui supposita suâ impeccabilitate, non erat liber circa mortem sibi à Patre praecipiam, libertate contrarietatis, sed duntaxat libertate contradictionis. De quo fusè in Tractatu de Incarnatione.

* *

*

Unitas spei constat ex eodem Apostolo ibidem dicente: *Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis una spe vocationis vestre.* Qua de causa, inquit Augustinus in Psal. 140. cum hæc vox sit omnium Martyrum, *Dispersa sunt ossa nostra, in plurali clamant, Ad te Domine, Domine, oculi mei, quia in te speravi.* Unitas charitatis insinuat A. Etium 4. *Credentium erat cor unum, & anima una in Domino,* quia (inquit Glossa) copulâ charitatis in unum iungebantur, sicut olim in celebri Cyzici delubro, lapides omnes filo aureo colligebantur, ut refert Plinius lib. 36. cap. 15. Huius unitatis egregiam affert Bannez rationem: Quod tributalicium bonitatem (inquit) illud eidem secundum Platonicos tributum unitatem; bonitas quippe rem ipsam in qua est conservat & perficit: At nihil in esse conservatur, nisi per hoc quod est unum: nam divisa & segregata cito pereunt & dissolvuntur: Igitur cum charitas Ecclesiæ bonitatem & perfectionem tribuat, eidem etiam unitatem confert. Quantum ad unitatem sacramentorum, Apostolus eam insinuat ad Ephes. 4. sub nomine Baptismi, qui est reliquorum Sacramentorum janua, dum ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* De unitate verò sacrificii ait 1. ad Corinth. 10. *Unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Item de Unitate legis & ceremoniarum dicit ad Ephes. 4. *Ipsa est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medii parietem macerie solvens, inimicitias in semetipso, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos conderet in semetipsum in unum novum hominem.* Quibus verbis significat, populum Iudæum & Gentilem (qui diverſi erant propter maceriam legum & præceptorum, quæ utrosque inter se dividebat) fuisse conjunctos per Christum, qui hanc maceriam destruxit, & omnes sub lege Evangelica adunavit.

Quartò Ecclesia est una, ratione unitus eiusdemque capitis visibilis, nempe Pontificis Romæ sedentis, qui per totam Ecclesiam supremus omnium fidelium Pastor agnoscitur: per ordinem quippe ad eum, omnes fideles toto orbe diffusi uniuntur, & ab omnibus hæreticis & schismaticis discernuntur. Hanc autem unitatem insinuat Christus Joan. 10. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor:* & Cyprianus, cum dixit Ecclesiam esse gregem, & plebem, suo pastori adunatam, quod de Ecclesia in nova lege debet intelligi: nam Ecclesia ante adventum Christi talem unitatem non habuit; tum quia Gentibus quæ fideles erant, & Judæis non præerat unus Pontifex: tum etiam quia Gentes ipsæ, ut rectè docet Bannez, nullum sibi caput visibile, à quo in mysteriis fidei edocerentur, agnoscebant; sed vel per lumen quoddam interius, vel à parentibus, vel ab aliis sibi æqualibus instruebantur.

Quintò Ecclesia dicitur una, unitate corporis mystici: quia sicut ex diversis & eterogeneis partibus unum corpus naturale resultat, ita ex omnibus fidelibus, fide, & Sacramentorum, ac Divinorum & Ecclesiasticorum præceptorum vinculo inter se conjunctis, unum corpus mysticum efficitur: & huius mysticæ unitus beneficio, fideles omnes in bonis spiritualibus inter se communicant, unus pro altero satisfacit, suis orationibus juvat, & in summa, omnia bona sua opera illi aliquo pacto applicat, juxta illud Prophetæ: *Particeps ego sum omnium clementiarum te;* & istud Apostoli: *Adimpleo quæ desunt passioni Christi*

si in corpore meo, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, id est pro omnibus fidelibus, quibus universales bores à me in Evangelii prædicatione toleratos communico. Unde præclare Bannez verba hæc Cantic. 4. *Greges tui sicut greges consarum, quæ ascendunt de lavacro, omnes gemellis foribus, & sterilitas non est inter eas,* de Ecclesia, seu de omnibus fidelibus explicat: siquidem oves sunt fideles, qui de lavacro baptismi ad gratiam accesserunt: sunt autem hæc oves fecundæ, & fecundæ, quia quisque fidelium, partem suorum meritorum, suarumque satisfactionum, in communem aliorum utilitatem effundit: quare Glossa interlinearis ait, quod illi inter steriles deputantur, qui abluunt statim ex hac vita rapiuntur; habuerunt enim sobolem fidei, quam vel ipsi pro se, vel alii pro ipsis confecti sunt; habuerunt etiam votum bonæ operationis, quod inter oves Christi, si expectari fuissent, socialiter exercuissent. Unde nota particulam hanc socialiter, quia scilicet illi, si diutius vixissent, in communem Ecclesiæ utilitatem sua opera meritoria transfudissent. Unde Tertullianus Apologet. 39. *Itaque quia animo animæque misceamur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiferecia sunt apud nos, præter uxores, in hoc solo consortium fugimus.*

§. II.

Secunda nota vera Ecclesiæ, Sanctitas.

Christi Ecclesiam sanctam esse docet Scriptura variis locis: nam Cantic. 4. de Sponsa Christi, quæ est Ecclesia, sic dicitur: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Ad Titum. 2. *Vedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ad Roman. 1. *Omnibus qui Romæ sunt vocatis sanctis, hoc est ad sanctitatem colendam, quam in baptismo professi sunt.* Denique 1. Petri 2. *Christiani appellantur. Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta.*

Hæc verò sanctitas Ecclesiæ consistit primò in puritate fidei, seu immunitate ab omni errore in doctrina quam profitetur; & ea de causa Apostolus ad Roman. 1. fideles appellat sanctos, secundum expositionem Chrysostomi in hæc verba, *vocatus sanctus.* Similiter Augustinus in Psal. 85. ait quemlibet fidelem dicere posse: *Quoniam sanctus sum;* quod certè de sanctitate fidei tantum potest intelligi, cum constet quam plurimos fidelium carere sanctitate morum. Secundò consistit in sanctitate vitæ, quæ prædicti sunt qui se illius doctrinæ conformant: Ecclesia namque à licentia peccandi avertit, & ad probitatem morum, vitæque sanctitatem impellit, ad illamque multum reipsa promovet. Tertiò Ecclesia est sancta, quia tota est divino cultui consecrata, ejusque Sacramenta, instituta, ritus, & ceremoniæ, sanctitatem undequaque redolent; & quia amor charitatis est veluti lex Salica Christianismi, de qua dicitur Psal. 18. *Lex Domini immaculata:* id est lex charitatis dicitur lex Domini, non solum quia illam inscribit cordibus nostris, sed etiam, quia ex illa vivit & agit, ut elegantissimè prosequitur D. Bernardus Epistolâ ad Carthusia.

chusianos. Denique Ecclesia est sancta, quia sancta
guine agni tincta & respersa: sanctum enim,
iuxta Hieronymum lib. 10. Eymol dicitur quasi san-
ctus vocatur Gens sancta, populus acquisitionis,
Glossa dicit, populus Christi sanguine respersus & re-
demptus.

§. III.

Tertia nota vera Ecclesie, quod sit
Catholica.

16 VERA Christi Ecclesiam esse Catholicam, ita
certum est, ut non solum a suis, verum etiam ab
omnibus inimicis & impugnatoribus eius Catholica no-
minetur, inquit Augustinus de vera Relig. cap. 7.
Unde idem S. Doctor lib. contra Epist. funda-
menti cap. 4. Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicam
nomen, quod non sine causa inter tam multas hereses sic
illa Ecclesia obtinuit, ut cum omnes Hæretici se Catho-
licos duci velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi
ad Ecclesiam Catholicam conveniatur, nullus Hæretico-
rum suffragis suam, vel domum audeat ostendere.

17 Porro multipliciter vera Ecclesia dicitur Ca-
tholica: Primo ratione locorum, cum sit per to-
tum orbem diffusa, neque unius regni aut pro-
vincie terminis, adinstar hæreticorum cœtum,
definitur; nam *ἐκδοκῶν* græcè appellatur, quod
per totum orbem diffunditur, ut ait Augustinus
Epist. 170. ad Severinum. Unde idem S. Doctor
in libro de Unitate Ecclesie contra Donatistas,
contendentes hanc ubique locorum diffusionem
vera Ecclesie non convenire, sic loquitur: Singu-
lae hereses in multis gentibus, ubi Catholica Ecclesia
est, non inveniuntur: hæc autem quæ ubique est, etiam
ubique non sunt inveniuntur. Item lib. 4. de Symbô-
lo cap. 10. dicit: Ecclesia totum mundum possidet, &
quæcumque congregatio cuiuslibet heresis in angulis se-
det, & alibi comparat congregationes hæretico-
rum samentis præcis, quæ ubi cadunt cum præ-
sidentur, ibi manent; cum cæcus ille, qui est
vera Ecclesia, tanquam vitis vivat, & ubique
palmites suos extendat. Secundo vera Ecclesia,
Catholica dicitur, ratione temporum: vera enim
Ecclesia semper fuit, & semper erit; alia verò se-
cæ post eam inceperunt, ideoque quotidie mu-
tantur, sensimque intereunt. Tertiò ratione per-
sonarum: omnes enim indifferenter vocat &
complectitur, si salutem consequi velint & obe-
dire Evangelio: Barbaros & Græcos, Judeos &
Gentiles, nobiles & ignobiles, reges & subditos.
Tandem dicitur Catholica & universalis ex pat-
re doctrinæ fidei, quæ universaliter est vera, &
continet omnia ad cognitionem & bonos mores
necessaria, omnem docet virtutem, & omne pro-
hibet peccatum, De quo videri potest Cardinalis
Turrecremata lib. 1. Summæ cap. 13.

§. IV.

Quarta nota vera Ecclesie, quod sit Apostolica.

18 EX triplici capite vera Ecclesia dicitur Aposto-
lica: Primo quia à Christo, qui ad Hebr. 3.
appellatur Pontifex & Apostolus confessionis nostræ,
fundata & instituta est. Secundo quia superadi-
ficata est super fundamentum Apostolorum, ut
dicitur ad Ephes. 2. Unde Cyrillus Alexandri-
nus exponens verba illa Prophetæ, fundamenta
super montibus sanctis, dicit montes illos sanctos
Iom. IV.

A esse Apostolos, in quibus iacta sunt Evangelicæ
veritatis fundamenta: montes revera sacros, in
quibus lucidissimum veritatis candelabrum non
potest abscondi: revera montes, & doctrinæ eo-
rum altitudinem, excellentiam, & firmitatem;
verè montes, qui primos orientis Evangelicæ fa-
cis radios excipere meruerunt, à quibus totus
mundus illuminatus est. Hi etiam sunt purissimi
& plenissimi Christianæ doctrinæ fontes, de qui-
bus Regius Vates spiritu prophetico dicebat:
Benedicti Domini de fontibus Israel. Ubi Ambrô-
sius: Dixerunt sunt Apostoli fontes, quia veluti fontes
purissimi, grati à predicationis exuberant. Cui con-
cinit Cyprianus Epist. 74. Si canalus aquam du-
cens (inquit) qui copiosè prius & largitè profluebat,
subito defuerit, nonne ad fontem pergitur, ut illic dese-
ctionis ratio noscatur? Ita si in aliquo mutaverit veri-
tatem ad originem Evangelicam, & traditionem Aposto-
licam revertamur. Quem Cyprianus locum cum leg-
isset Augustinus, sic ei subscribit lib. 5. de Bapti-
smo cap. 26. Quod nos admonet Cyprianus, ut ad
fontem recurramus, id est ad Apostolorum traditionem,
& inde canalem in nostra tempora dirigamus, opti-
mum est, & sine dubitatione faciendum. Hi sonæ E-
uangelicæ veritatis tubæ, hi celeberrimi Divinitatis
præones, quorum sonus exivit in omnes terræ partes,
quorum prædicatio ubique Deum intonat.

39 Tertiò vera Ecclesia denominatur Apostoli-
ca, quia in ea legitima Episcoporum (qui sunt vi-
ri Apostolici) successio ad hæc nostra tempora
inviolabiliter deducta, viget & conservatur: fa-
cile enim est à Clemente IX. qui nunc feliciter
Ecclesiam regit, usque ad Linum, Clementem,
Petrum, tandemque ad Christum, gradum face-
re. Quam Episcoporum successionem tanti fecit
Augustinus cap. 4. Epistolæ contra fundamen-
tum, ut dixerit se in Ecclesia per eam potissimum
retineri; & meritò, sic enim olim expresse istud
à Davide pronuntiatum fuerat: *Stantes erant pedes
nostri in atriis tuis Ierusalem*: Illuc enim ascenderunt
tribus Tribus Domini, testimonium Israel ad consten-
dum nomen Domini; & Salomone Cantici. 1. cum
Sponsa, ubi Sponsus degeret percontanti, re-
spondet: *Si ignoras te o pulcherrima inter mulie-
res, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce
hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, eorum nem-
pe, per quorum seriem & successionem, nul-
quam interruptam, ad lætulum Christi Sponsi,
id est ad passionem & mortem ejus, possumus
devenire. Unde ex hac perpetua Episcoporum
successione argumentantur sæpius SS. Patres
contra Hæreticos, præsertim Tertullianus libro
de Præscript. cap. 32. Edant ergo (inquit) origi-
nes Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episco-
porum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem,
ut primus ille Episcopus alicui ex Apostola, vel Apo-
stolici viri, qui tamen cum Apostolis perseveraverint,
habeant autorem & antecessorem? hoc enim modo
Ecclesia Apostolica census suos deserunt: sicut Smyrne-
orum ecclesia habens Polycarpum, à Iovanne collocatum
refert; sicut Romanorum (Ecclesia) Clementem à
Petro ordinatum edit.

40 Ex his facile possunt demonstrari alia duo,
quæ initio huius articuli proposuimus, nimirum
quatuor vera Ecclesie notas, jam explicatas,
Romana quidem Ecclesia non verò Lutherano-
rum & Calvinistarum sectæ convenire. Primum pa-
tet ex dictis: Ecclesia enim Romana est una o-
mnibus modis supra enumeratis, præsertim ra-
tione unius ejusdemque capitis visibilis, nempe
Pontificis Romæ sedentis, qui per totam Eccle-
siam

siam supremus omnium fidelium pastor agnoscitur. Est etiam sancta tribus modis supra explicatis, nempe sanctitate fidei, morum, & consecrationis divino cultui. Similiter Catholica est; quia ex urbe Roma diffusa est per totum mundum; nec solum in omnibus partibus terrarum, antiqui orbis, in Italia, Gallia, Hispania, Germania, Anglia, Polonia, Bohemia, Hungaria, Græcia, Syria, Æthiopia, sed etiam in omnibus quatuor partibus novi orbis, ad Orientem in Indiis, ad Occidentem in America, ad Septentrionem in Laponia, ad Meridiem in Brasilia, & exteriorem partem Africae, sunt qui doctrinam fidei nostrae in dies recipiunt, & profitentur. Unde merito dixit Leo Papa, sermone de natali Petri & Pauli. Romam alloquens: *Quamvis imperii tui fines terrarum marique bello protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdedit, quam quod pax Christiana subiecit.* Et Prosper in carmine:

*Sedes Romæ Petri, quæ Pastoralis honoris
Fæcta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.*

Denique Apostolica est; quia à D. Petro, Apostolorum Principe, fundata est, ejusque sanguine purpurata; & in eadem fide quam ipse annuntiavit, in violata, & sine ulla suorum Pontificum interruptione, perseveravit. Unde Lucius I. Papa & Martyr in Epistola ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ: *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse probatur, nec hereticis depravata novitribus succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem.* Ego rogo vos pro te, ut non debeas fides tua. Similia habet Felix I. Papa & Martyr, in Epistola ad Benignum.

41. Quod verò quatuor notæ prædictæ desint Hæreticorum hujus temporis sectæ, non minus evidens est. In primis enim quantum ad unitatem, manifestum est eam in tali secta non reperiri, cum nullum agnoscat caput visibile, quod sit interpres infallibilis fidei, & cujus sententiæ necessario adhaerendum sit, sed pro suprema fidei regulamumat internam, ut sibi videtur, per suasionem Spiritus Sancti, id est privatum cujusque spiritum, quo Scripturæ divinæ veritatem quoad litteram & sensum se cognoscere profitetur; quod non est firmum unionis in fide principium, sed fecundum discordiarum & hæreseon seminarium, ut rectè annotavit Cyprianus lib. 4. Epist. 9. dicens: *Non aliunde hæreses oborta sunt, nata schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex, vice Christi cogitatur.* Idem observavit Tertullianus lib. de Præscript. cap. 42. *Mentior (inquit) si non etiam à regulis suis variant inter se (Hæretici) dum unusquisque proinde arbitrio suo modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei.* Idem licet Valentiniæ quod Valentini, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspecta hæreses omnes, in multum cum Authoribus suis dissentientes deprehenduntur. Hoc experientiâ compertum in Hæreticis hujus temporis, qui Lutheranam hæresim in centum & amplius Sectas diversas distinxerunt; & qui aliud hodie, & aliud cras credunt, ut de suis Witembergensibus dicebat Georgius Saxonix dux.

42. Denique sanctitas, tam quoad intellectum,

A quam quoad voluntatem, de est hujusmodi Hæreticorum sectæ: eorum enim doctrina multa continet dogmata aperte falsa & erronea, puta Dei mandata esse impossibilia, etiam cum Dei gratiâ homines solâ fide justificari, & peccata quælibet habentibus fidem non imputari, nec quidquid ipsi faciant, posse unquam fidem perdere; neminem mereri bonis operibus factis cum Dei gratiâ, neque habere liberum arbitrium ad bene operandum. Omitto horrendas Calvinii blasphemias, asserentis Deum esse autorem peccati, non solum quoad entitatem, sed etiam quoad malitiam & deformitatem (ut §. præcedenti ex Andrea Duvallo Doctore Sorbonico retulimus) illiunque cogere, necessitare, & ad male agendum impellere, & quosdam suâ merâ voluntate creasse ut damneret. Illi etiam omnia opera laboriosa & satisfactoria, quibus à peccatis deterreremur & avocamur, damnant. Inter cætera Confessionis Sacramentum ajunt esse inventum humanum, carnificinam conscientiarum, & meram superstitionem. Denique omnia quæ austeritatem aliquam & carnis macerationem capiunt, rei punit, ut abstinentiam à carnibus, statutus anni temporibus, jejunium quadragesimale, coelibatum Sacerdotum, vinculi conjugal, falsam in causa veritatis fidei dissolutionem alitum, & fideles per mortem Christi ita esse liberos factos volunt, ut nullâ lege, sive Ecclesiasticâ, sive Politicâ in foro conscientie teneantur. Ex qua doctrina tam laxa, & tam late ad libere & impune peccandum patente, pullularunt innumera flagitiorum genera: Gallos enim, antea Regi suo obsequentiissimos, in rebelles & seditiosos mutavit; Monachos cum rigore maximo antea viuentes, ad laxum vivendi genus traduxit, continentibus mulierosos reddidit; & Moniales, voto Deo mancipatas, ad sacrilegas nuptias induxit. Denique (inquit Dubravius) Lutherus brevi temporis spatio, totum illum terræ angulum in quo morabatur, fidei fægis, perjuris, adulteris incestuosis, & sacrilegis replevit. Cujus pessimæ mutationis illustre testimonium reddit legatio civium Norimbergensium ad Carolum V. Imperatorem, qui cum sublatâ confessione auriculari, viderent omnia flagitia & scelera nūquam hæcenus auditis redundare, libellum supplicem Imperatori obtulerunt, ut suâ authoritate Cæsareâ confessionem illam observandam ediceret. Sed hæc petitio risu à Catholicis excepta, ab Imperatore rejecta est, & prudenter: nam ut optimè inquit Dominicus Sotus, qui tunc erat à Confessionibus Imperatori, & cujus iusti prudentisq; consilii pars magna fuit si secreta confessio peccatorum occultorum, secundum hæreticos, divinâ lege non obliget, quo pacto solâ lege Cæsareâ obligabit? humanæ enim leges tantum de rebus exterioribus instituuntur, & ad interiora non valent se extendere. Ex quibus intelliges, veram esse auream illam Augustini sententiam: *Non ex aliis hominibus sunt heretici, quam ex iis qui sunt in Ecclesia permansissent, propter vitia turpitudinemque cap. 8.*

Tertio quod Lutheranorum & Calvinistarum sectæ, nomen Catholice seu universalis, convenire nequeat, manifestum est: cum eorum doctrina in Aham, African, Egyptum, aut Græciam, & multo minus ad noviorbis partes nondum pervenerit, sicut fides Romana Ecclesiæ; neque illi sperare possint, quidquid dicant suam sectam aliquando occupaturam esse totum orbem.

DISPUTATIO IV.

De Summo Pontifice.

Absoluta disputatione de Ecclesia, agendum est de Romano Pontifice, qui est caput ipsius visibile, & demonstrandum primo, esse veram ac vivam fidei regulam, subindeque in proponendis & definiendis rebus fidei errare non posse. Alias Postea quæ de illo agitari solent quaestiones, ea quæ poterimus brevitate & perspicuitate resolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum in Ecclesia Dei, sit regula viva & loquens, quæ res fidei cum infallibili auctoritate proponat, eaque sit Romanus Pontifex, & legitimus Petri successor?

Hæretici nostri temporis exultant, Scripturam sacram, non esse regulam quæ res fidei cum infallibili auctoritate credendas proponat, sed unumquemque interno Spiritus sancti ductu ac lumine, ex Scripturis cognoscere, quæ ad ipsius salutem necessaria sunt. Brentius tamen apud Bellarminum libro 3, de Verbo Dei cap. 3, hoc discrimen inter Principem secularem & privatam personam constituit, quod Princeps habeat publicam potestatem judicandi de rebus ad fidem & religionem pertinentibus, privata vero persona interno Spiritus sancti lumine, ea duntaxat ex Scripturis noscere possint, quæ ad suam spectant salutem. Idem tenuit Angli hæretici, qui similiter contendunt, Reges temporales esse supremos iudices controversiarum fidei, & apud illos supremam potestatem non solum temporalem, sed etiam spirituales refidere. Catholici vero omnes unanimiter docent, præter Scripturas Canonicas, & traditiones, dari regulam vivam, quæ sit infallibilis auctoritatis in proponendis definiendisque rebus fidei, quam omnes sequi tenentur, talemque regulam dicunt esse Summum Pontificem, ex cathedra loquentem: quamvis gravis inter illos sit disceptatio & controversia, in explicando quid sit Pontifex, ex cathedra loqui. aliqui enim exultant, Pontificem solum loqui ex cathedra, quando præest Concilio Generali, alii vero contendunt, illum loqui ex cathedra, quotiescumque live in Concilio, live extra Concilium, ut Pastor universalis, aliquid authenticè proponit toti Ecclesiae, tanquam credendum de fide divina. Verum ab hac celebri difficultate & controversia, quæ tot tumores in Gallia excitavit, abstrahemus in præfenti, solumque contra hujus temporis hæreticos demonstrare conabimur, dari in Ecclesia Dei, præter Scripturam & Traditionem, quæ sunt regulæ vitæ & mortis, regulam aliquam vivam & loquentem, nimirum Romanum Pontificem, & legitimum Petri successorem, ut ex cathedra loquentem, & fidei controversias definientem, præscindendo ab hoc quod illas vel intra vel extra Concilium definiat.

beni. Cum enim Ecclesia, ut faterentur, jam senescit, si eorum congregatio vera est Ecclesia, quomodo in senectute crescat, quæ in sua adolescentia & juventute tam parum crevit? Imò, quod oblatione dignissimum est, sicut à nulla unquam secta, legis Christi fides apud illas gentes fuisse plantata legitur; ita nulla unquam gens Christianam complexa est fidem, nisi eorum opere, qui cum Ecclesia Romana communionem in fide habuerunt. Nec mittim: Negotium enim (inquit Tertullianus) est hæreticis, non Ethnicis convertendi, sed nostros evertendi: hanc magis gloriam capiant, si hæreticis ruinam, quam si jacentibus elevamentum operentur.

Denique quoad eadem secta non possit dici Apostolica, non minus evidens est, quia Lutherani & Calvinistæ suam successionem ab Apostolis ad se ipsos, sine ulla interruptione, ostendere nequeunt, ut ab omnibus Patribus fuit jugiter hæreticis exprobatum, præsertim vero à Tertulliano libro de Prescriptionibus: Edant (inquit) origines Episcoporum suorum, ab initio & per arces decurantium, sic enim Ecclesia Catholica & Apostolica census suos deferunt. Ideoque contra sui temporis hæreticos concludit his verbis, supra relatis: Quæ licentiæ, Appelles, sylvam meam cedis? Quæ auctoritate, Marcion, limitem meum commoves? Quæ potestate, Valentine, fontes meos disturbas? Qui sunt, præcipientes perversi? Quæ certe, mutatis nominibus, Lutheri, Calvini, Zuinglii appositione conveniunt.

Ex his ergo liquet, quatuor veræ Ecclesiæ notas & perfectiones, soli Romanæ Ecclesiæ competere, proindeque eam tantum veram fidem, & doctrinam, ac religionem possidere. Unde Hieronymus Epist. 57, ad Damasum: Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudinem tuam, id est Cathedram Petri, communionem conficior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in astra Noë non fuerit, peribit, regnante diluvio. Et paulo post: Non novi Vitalem, Metetium respicio, ignore Paulinam, quicumque tecum non colligit, spargit. Hic est, qui Christi non est, Antichristi est. Et Epist. 58, ad eundem: Hinc præsidium sulta mundi Arriana rantes fremunt, hinc in tres partes scissa Ecclesia, ad se rapere mæstinas &c. Ego interim clamo, si quis Cathedra Petri jungitur, meus est. Concludamus igitur hanc disputationem cum Augustino, & cum S. illo Doctore dicamus: amenus Dominum Deum nostrum, amenus Ecclesiam ejus: illum sicut Patrem, illam sicut matrem: illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam, qui filii ancille ipsius sumus.

Agunt hic aliqui de partibus seu membris Ecclesiæ, & quaerunt, an homines in statu peccati vel infidelitatis existentes, membra: celestia dici possint? Sed de hoc commodius agemus in Tractatu de Incarnatione disp. 14, ubi de Christo ut Ecclesiæ capite differemus, & utrum sit actu caput hominum in statu peccati vel infidelitatis existentium, art. 2. resolvemus. Unde ad hunc locum Lectorem remittimus.

* *

*